PRÆFATIO.

Quantum Religionis Christianæ intersit, Prælectiones Theologicas, in Germania præcipuè, ità adornari, ut genuinum illud, quod Christus Fundator Ecclesiæ suæ dedit, Systema ceu norma præ oculis habeatur, habebo quantum quidem judico consentientes omnes, quotquot Religionis Christianæ florem ac tuitionem ex corde desiderant.

Ex defectu hujus duplicis generis Christianæ Religionis hostes hodie experimur: alios quidem peccantes intuemur à vero Systemate Ecclesiæ *deficiendo*, eò quod vera & genuina sanctæ Ecclesiæ Dogmata impugnent, jura indubitata, quæ Christus per Ecclesiarum Præsules præcipuè Romanum Pontificem exerceri voluit, sacris soliis detrahant, atque nihil non prætermittant, quo Christiana atque Catholica fides extremum usque in discrimen perducatur; Alios vero *excedendo* peccare novimus, qui verum Ecclesiæ Systema aut ignorantes, aut ignorare se ostendentes, ceu dogmata Religionis credenda esse prætendunt, quæ neque in verbo Divino scripto, nec tradito fundamentum habent, atque propterea Ecclesia, Sanctaque illius Capita Romani Pontifices, ut crederentur, nondum sunt locuti: Hi, utrum immoderato suo Zelo non obsint potiùs, quam prosint Ecclesiæ Christi, vehementer dubito: absque legitima enim determinatione Potestatis ecclesiasticæ, obtrudere velle inimicis Religionis nostræ Catholicæ dogma credendum, ad sinum nostræ Ecclesiæ reversuris, quid est aliud, quam Conversionem illorum reddere difficilem, atque hac in re fovere dissensiones Ecclesiæ noxias inter Theologos Catholicos orthodoxos, atque Ecclesiam ipsam nostram exponere ludibrio heterodoxorum?

Ex quo nuper delatum mihi fuit clementissimè munus illud verè grave, ut in hac Electorali Academia Historiam Theologiæ christianæ in Germania à tempore Religionis Diffidii ab anno videlicet 1517 ad nostram usquè ætatem publicè prælegerem, illico cogitabam de ordinato quodam Systemate mihi præbente filum, quod Ecclesiæ à Christo fundatæ, Conciliorum œcumenicorum Decretis, Constitutionibus Romanorum Pontificum, nec non Sanctorum Patrum Scriptis ex integro conforme esset — non putamus autem ab his aberrare, si plenissimam & infallibilem Conciliis œcumenicis, quæ convocandi, ac confirmandi jus est romano Pontifici, potestatem determinandi vindicemus, quoties Verbum divinum seu scriptum, seu traditum in dubium vocatur, nec non determinandi Præcepta morum, ac Disciplinam Ecclesiæ universalem: Cum vero cuilibet deliranti Theologo aut Jureconsulto (cum Authore Principiorum Jurispublici ecclesiastici loquor) convocari Concilium nec debeat, nec illico possit, supremam romano Pontifici potestatem in vim sui jurisdictionis primatûs divinitûs accepti Dubia singula dissolvendi omnino vindicandam esse contendimus, cujus Decreta fidei & morum ad omnes omnino Ecclesias pertinere dicenda sunt, ut in rebus fidei & morum unitas ac sanctitas conservetur, quomodo enim stabit unitas, si uni supremo Pastori obedientiam detrectemus? In negotiis quoquè Disciplinæ universalis, quidquam statui posse sine authoritate romani Pontificis ceu Ecclesiæ Capitis interveniente negandum omnino est.

At verò Episcopos quoque positos esse à Spiritû Sancto regere Ecclesiam Dei, oportet nos esse memores, ut hi, *salvis juribus tum essentialibus, tum accessoriis romani Pontificis* pro Bono Ecclesiæ sibi concreditæ potestatem sacram exercere queant.

Quoad Summos in republica Christiana Imperantes omnino cavendum, ne his Jura sacra tribuantur, quæ Christus soli Ecclesiæ ejusque Sanctis Præsulibus dedit, atque ità ceu Capita Ecclesiæ extollantur; *Cum* enim *ad verum ventum est* (scribit NICOLAUS Papa ad Michaelem Imperatorem apud Gratianum Dist. 96, C. 6.) *ultra sibi nec Imperator Jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex Nomen Imperatorum usurpavit: quoniam idem Mediator Dei & Hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis & Dignitatibus distinctis officia Potestatis utriusque discrevit, propriâ volens medicinali humilitate sursum efferri, non humanâ superbia rursus in Infernum demergi, ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro Cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur quatenus Spiritualis actio Carnalibus distaret incursibus, & ideo Militans Deo minime se Negotiis sæcularibus implicaret, vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset Negotiis sæcularibus implicatus,* Porro inquit S. Augustinus Lib. IX. de civ. Dei cap. 17. *Hæc cælestis civitas, dum peregrinatur in terris, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit civitatem, non curans, quidquid in moribus, legibus, institutisquè diversum est, quibus Pax terrena vel conquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindens, nec destruens, imo etiam servans, ac sequens, quod licet diversum in diversis nationibus ad unum tamen eundemque finem terrenæ pacis intenditur, si Religionem, qua unus Summus ac verus Deus colendus docetur, non impedit.*

Interim verò hortamur omnes & obtestamur (ceu pridem ante annos octo anno videlicet 1772 Dissertatione nostra Juris ecclesiastici prima Treviris edita à primo nostro ad munus Antecessoris in Jure sacro germanico accessû, rogavimus, & obtestati sumus) non omittendam esse œconomiam

ſapientiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. quam obſervari præcepit à S. Indicis Congregatione in examinandis proſcribendisque libris, in Conſtitutione, quæ incipit *ſollicita* de anno 1753. ubi ita loquitur: *de Variis opinionibus atque Sententiis in uno quoque libro contentis, animo Præjudiciis omnibus vacuo, judicandum ſibi eſſe ſciant: Itaque Nationis, Familiæ, Scholæ, Instituti adfectum excutiant, Studia partium ſeponant, Eccleſiæ ſanctæ Dogmata, & Doctrinam, quæ Conciliorum generalium Decretis, RR. PP. Conſtitutionibus, & ortbodoxorum Patrum atque Doctorum conſenſû continentur, unicè præ oculis habeant, hoc de cætero nihilominus cogitantes, non paucas eſſe opiniones, quæ uni Scholæ, Instituto aut Nationi certo certiores videntur, & nihilominus ſine ullo fidei, aut Religionis detrimento ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppoſitæque defenduntur ſciente ac permittente apoſtolica Sede, quæ unamquamque Opinionem hujusmodi in ſuo probabilitatis gradu relinquit*: in cujus Sententiæ ſuæ confirmationem adducit aliud Decretum à venerabili Prædeceſſore ſuo, in quo virtute S. Obedientiæ præceptum eſt omnibus Doctoribus, *ut caveant ab omni Sententiarum Cenſura & Nota, nec non à quibuscunque Convitiis contra eas Propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur &c.* atque eos, *qui ſecus agunt*, adfirmat ibidem ex S. Auguſtino *Sententiam ſuam amare, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt*, poſtremoque addit: *non ferendum eſſe privatas ſententias veluti certa, ac definita Eccleſiæ dogmata obtrudi, oppoſitas vero erroris inſimulari, quo turbæ in Eccleſia excitantur, Diſſidia inter DD. aut ſeruntur, aut foventur, & veritatis Chriſtianæ Vincula obrumpuntur.*

Quibus SUMMI PONTIFICIS Verbis contineri omnia credimus, quæ in difficili Sparta nobis concredita, uti à nobis, ita & ab aliis merito obſervanda eſſe in Domino confidimus.